

cessus termini a quo, quam accessus termini ad quem, quia in recipiendo opposito modo proceditur quam in agendo, nec enim una forma recipitur nisi in subjecto vacuato altera forma, succedit enim una forma alteri, in agendo autem forma producta expellit aliam. Quare remissio culpæ non dicitur consummatio perfectionis quasi perfectio, et finis cujus gratia, sed quia est ultimum in executione actionis quo executio cessat motus, et ita vocavit illam D. Thomas consummationem motus, et est finis justificationis, quasi finis effectus, et tamquam ultimum in executione, et ut fructus justificationis, juxta illud Isaiaë XXVII: *Iste est omnis fructus, ut peccatum tollatur.*

SEQUITUR EXPLICATIO LITTERÆ
D. THOMÆ.

I. In articulo secundo, inquit utrum ad remissionem culpæ, quæ est justificatio impii requiratur gratiæ infusio. Respondet unica conclusio: Non potest intelligi remissio culpæ nisi adsit infusio gratiæ.

II. Nota solutionem ad primum, ubi D. Thomas affirmat, quod licet homo ante peccatum potuerit esse sine gratia, et sine culpa, scilicet in statu puræ naturæ, tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi habeat gratiam; ubi non agnoscit S. Thomas quod homo post peccatum sit reducibilis ad statum puræ naturæ.

DISPUTATIO XXVII.

DE FORMA JUSTIFICANTE.

ARTICULUS I.

Utrum aliquis actus elicitus ab homine, vel habitus operativus possit esse forma justificans?

I. Dupliciter potest gratia sumi hic. Primo, pro extrinseca voluntate Dei nullo effectu in nobis relicto: secundo, pro dono infuso, vel actuali, vel habituali; et actuale potest esse, vel auxilium ad operandum, vel ipsamet operatio, et actus secundus. Similiter donum habituale potest esse, vel habitus operativus ut charitas, vel non operativus ut gratia. Ad inquirendum ergo formam justificantem, prius in hoc articulo inquirimus an possit esse actus, vel habitus operativus: in sequenti vero, an de potentia absoluta possit per extrinsecam Dei voluntatem sine ullo dono intrinseco fieri justificatio.

II. Et supponimus tamquam certum, de facto justificationem non fieri nisi per aliquid intrinsecum, et inhærens nobis. Ita sumitur ex definitione Tridentini sessione VI, capite VII, ubi dicitur quod justificatio ipsa: « Non est sola remissio peccatorum, sed sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum. » Et quod unica formalis causa nostræ justificationis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. Et canone XI inquit: « Si quis dixerit justificari hominem, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum exclusa gratia, et charitate, quæ in cordibus eorum per

Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit. » Quare de fide constat contra hæreticos hujus temporis justificationem nostram non fieri aliqua denominatione extrinseca, sed aliquo dono nobis inhærente: cum autem inhæreat nobis tam habitus, quam actus, inquirimus utrum aliquis actus fungatur munere causæ formalis justificantis nos.

III. Denique suppono a nemine negari justificationem fieri aliquando non per actum elicitum, sed per formam habitualem. Id constat ad minus in duobus casibus. Primus est in justificatione parvulorum quos constat secundum fidem per baptismum mundari a peccato, et justificari non minus quam adultos, ut constat ex Tridentino sessione V, canone III et IV. Secundus casus est, quando adultus justificatur in sacramento cum sola attritione; tunc enim constat non justificari formaliter per ipsum actum, quia attritio non est actus justificans, sed ad justificationem disponens, solum enim actus justificans potest esse ille, qui formaliter convertit ad Deum, et ipsum diligit super omnia, sicut est actus charitatis, et contritionis. Ergo punctus difficultatis ad hoc devolvitur, ut videamus an actus ipse charitatis, et contritionis in se habeat vim sufficientem ad justificandum formaliter, licet nec semper, nec solum sit forma justificans, sed etiam detur habitus justificans sine actu, atque ita de potentia absoluta, si non infunderetur habitus gratiæ, adhuc formaliter justificaretur homo per actum dilectionis, et contritionis.

IV. In qua re est celebris sententia quam defendit Vazquez 1-2, quæst. CCIII, cap. III, et sequenti, ubi affirmat actum contritionis, et charitatis habere in se ipso vim justificandi formaliter; et licet de facto nunc omnes recipiant habitum

gratiæ, tamen quia definitum est ab Ecclesia justificationem fieri in nobis per justitiam inhærentem, et quæ dicuntur de gratia inhærente possunt etiam intelligi de ipso actu contritionis, satisfieri videtur Ecclesiæ definitioni si in his, qui sunt capaces contritionis, ipsa contritio sit formalis causa justificandi. Et ab hac sententia non multum videtur distare magister Joannes Vincentius relectione de gratia Christi, quæstione prima post sextam conclusionem, quem pro se citat Vazquez, quia inquit actum charitatis ex natura sua habere vim efficiendi aliquam immutationem in anima, qua dicatur habitualiter conversa ad Deum, etiamsi habitus charitatis non in funderetur. Sed tamen magister Vincentius non loquitur in sensu patris Vazquez ut etiam bene observavit Sanchez infra citandus, quia non dixit actum charitatis formaliter justificare, ut Vazquez, sed quasi effective, quatenus ex ipso sequitur illa habitualis conversio ad Deum.

V. Fundamentum hujus sententiæ præcipue reducitur ad hoc punctum, quia in actu contritionis, et charitatis inveniuntur omnia, quæ requiruntur ad formaliter justificandum: ergo est justificans. Consequentia patet, quia sicut bene valet, in hac forma concurrunt omnia quæ requiruntur ad dandum formaliter esse homini, ergo est forma hominis, ita bene valet, in actu contritionis concurrunt omnia requisita ad formaliter justificandum; ergo est forma justificans. Antecedens autem probatur, quia per actum contritionis, et charitatis aliquis formaliter convertitur ad Deum, et diligit illum super omnia; ergo formaliter avertitur a peccato, et a fine ultimo contrario charitati; ergo per talem actum solvitur peccatum. Item sine illo habitu per il-

lum actum charitatis dicitur diligere Deum ut amicum; ergo etiam diligitur a Deo amicabiliter, quia omnis amicitia mutua redamatio est, et consequenter dicitur hominem manere in Deo, et Deum in illo, quia dilectio transformatur in amatum, atque adeo mediante amore dicitur esse in illo. Item etiam per solum illum actum sine habitu ipsum subjectum sufficienter immutatur ut terminet dilectionem Dei, qua antea non terminabat; ergo ut dicatur sanctus et justus coram Deo. Consequentia patet, quia si diligitur a Deo gratus est illi; ergo bonus, et justificatus in se, nihil enim est gratum Deo nisi sit bonum. Antecedens autem probatur, nam hoc ipso quod aliquis habeat illum actum non potest odio haberi a Deo, quia ille actus dilectionis non potest illi displicere, ergo neque subjectum diligens, præsertim cum ille actus dilectionis tantum habeat bonitatis ad placandum, quantum actus peccati ad displicendum, quia tantum acceditur ad Deum per dilectionem, quantum receditur per peccatum; ergo tantum reparat illa dilectio, quantum abstulit peccatum. Itaque hoc argumentum in omnibus parificat actum peccandi, et actum diligendi, quantum ad hoc quod est convertere, vel avertere a Deo.

VI. Confirmatur, nam si Deus sine aliquo habitu elevaret aliquem ad visionem divinam, ille esset formaliter beatus, quia beatitudo formaliter, et essentialiter est in visione Dei; ergo etiam sine habitu formaliter justificaretur. Consequentia patet, quia non stat aliquem esse beatum, et non justificatum, quia beatitudo est consummatio gratiæ, et justificationis. Et idem argumentum fit de unione hypostatica per quam aliquis sanctificabitur a peccato quod haberet, etiam nullo habitu infuso. Quid ergo prohibet di-

cere, quod actus dilectionis justificet sine habitu infuso, si quidem unit nos Deo per affectum, et amorem amicitiae.

Accedunt denique plura testimonia sanctorum, qui communiter attribuunt justificationem, et sanctitatem, et pulchritudinem animæ ipsi dilectioni, et charitati, et specialiter videri potest S. Bernardus sermone LXXXIII in Cantica, et libro de modo vivendi sermone de timore Dei, et Augustinus tract. IX in epistola Joannis, qui ipsi amori, et dilectioni tribuit facere animam pulchram, ita quod crescente charitate crescit pulchritudo, et quod perfecta charitas est perfecta sanctitas. Qua etiam ratione dixit Augustinus libro de natura et gratia, cap. XLII, quod charitas plenissima, verissima, perfectissimaque justitia est. Et S. Ephrem libro de die judicii: « Cumpunctio, inquit, sanitas est animæ, et illuminatio mentis, » et multa alia testimonia congeri solent, quæ nihil amplius significant quam allata.

VII. Nihilominus opposita sententia verissima est. Pro illa videri potest, seu possunt qui nuper contra Vazquez scripserunt, ut Lorea in præsentis tractatu de gratia, disp. xxxv, memb. II; Montesinos supra istam quæstionem disp. xxxviii, quæst. v; et latissime Suarez tomo III de gratia, libro VII, cap. xv et I tomo, III p. disp. IV, sect. VIII, et loquimur in omni latitudine, ita quod nec de facto, nec de possibili possit actus contritionis, vel dilectionis esse forma justificans.

VIII. Et quantum ad primam partem, scilicet de facto non esse formam justificantem, ex duobus deduco. Primo, ex ratione speciali contritionis, quia est dispositio, non autem forma justificans: secundo, generaliter ex ipsa natura justificationis, quæ non potest fieri actu, sed habitu. Et prima probatio deducitur

ex Tridentino sessione VI, canonè III, ubi loquitur de gratia justificationis, tamquam de dono distincto ab actu pœnitentiæ, et dilectionis, dum inquit: « Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia infundatur, anathema sit. » Ex quo loco conficitur argumentum: Concilium expresse loquitur de actibus virtutum theologiarum, et virtutis pœnitentiæ, in quibus sine dubio includitur actus dilectionis, et contritionis, nam diligere et pœnitere ut oportet ad justificationem, non est dilectio, et pœnitentia quæcumque, sed supernaturalis, et super omnia; sed de istis actibus dicit quod fiunt ut justificationis gratia infundatur; ergo ipsi actus non sunt ipsa gratia justificationis, et consequenter neque ipsa forma justificans, alias esset sensus Concilii quod fiunt isti actus ut ipsimet infundantur, si ipsi sunt forma justificans, quod est omnino absurdum.

IX. Item Concilium sessione XIV, capite IV, postquam definivit contritionem, quod est dolor, et detestatio de peccato commisso, subdit sic: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapsa ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ conjunctus sit. » Quo loco Concilium non potest loqui solum de contritione imperfecta, quæ est attritio, quia loquitur de motu contritionis quovis tempore necessario ad veniam peccatorum, sed attritio imperfecta non fuit quovis tempore necessaria ad veniam peccatorum, quia ante legem evangelicam extra sacramentum non requirebatur, et cum sacramento non

sufficiebat; ergo nunquam erat necessaria attritio imperfecta. In homine autem lapsa post baptismum tunc præparat ad remissionem peccatorum, quando est conjuncta cum fiducia divinæ misericordiæ, quod extra sacramentum solum habet contritio perfecta: ergo Concilium non loquitur solum de attritione, sed de contritione quæ semper fuit necessaria ad veniam peccatorum, et modo post baptismum non habet conjunctam fiduciam divinæ misericordiæ extra sacramentum, nisi perfecta contritio sit.

X. Dices loqui Concilium ibi de contritione in communi ut abstracta perfecta, et imperfecta quam ibi in principio capituli de fide constat a fortiori necessariam esse ad justificationem.

XI. Sed contra admitto, quod loquitur Concilium de contritione in communi, quod est genus ad perfectam et imperfectam, sed de hac ratione in communi dicit Concilium quod præparat, et impetrat remissionem peccatorum; ergo genus contritionis perfectæ est dispositio ad justificationem, et consequenter ipsa contritio non potest esse forma justificans, quia implicat quod ponatur sub genere dispositionis ad talem formam, ita quod ipsa sit species dispositionis. Ergo relinquatur ex Concilio quod contritio est vera dispositio ad justificationem, non ergo forma justificans. Omitto Concilium dicere sessione VI, capite VII unicam causam formalem justificationis esse justitiam Dei, qua nos justos facit, sed constat in aliquibus secundum fidem formam justificantem non esse actum, sed habitum, ut in parvulis, et in his qui justificantur cum attritione in sacramento; ergo si causa formalis est unica, et in aliquibus est habitus, in omnibus est habitus.

XII. Secundo, generali ratione